

Innocent IV: ‘Nimis Iniqua’*

21 July 1245

*Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, & dilectis Filiis
Abbatibus, Prioribus, Archipresbyteris, Archidiaconis, Decanis, & aliis
Ecclesiarum Praelatis per Itailia constitutis Salutem, & Apostolicam
Benedictionem*

Nimis iniqua vicissitudine largitori bonorum omnium respondetur, dum ii, *Quam iniquum patromoniis*
qui de Christi patrimonio impinguati luxuriant, damnabiliter in eodem, *Ecclesiae abuti*
Christum in famulis suis patenter /368b/ persecui non verentur, ac si factus
sit impotens Dominus utlionum.

Cum enim dilecti Filii Fratres Minores abnegantes salubriter semetip- *Fratrum Minorum*
sos elegerint in altissima paupertate Christo pauperi ad placitum famulari, *institutum, & vita*
tamquam nihil habentes, & omnia possidentes; non desunt plerique tam Ec- *2 Cor. 6.10*
clesiarum Praelati, quam alii, qui coeca cupiditate traducti propriae aviditati *Plerique Minoribus*
subtrahi reputantes quidqui praedictis Fratribus Fedelium pietas elargitur, *praedictis infesti*
quietem ipsorum multipliciter inquietant: vos quoque, qui eos deberetis *etiam Itali, quibus*
favorabiliter confovere, molestiarum occasiones vanas exquiritis contra ipsos; *scribitur Epistola*
vultis namque, etsi non omnes, ipsis invitatis, eorum confessiones audire, ac *Gravamina plura*
eis injungere poenitentiam; & Eucharistiam exhibere; nec vultis, ut Corpus *recensentur*
Christi in eorum Oratoriis reservetur; & Fratres ipsorum defunctos apud *(25 points listed)*
Ecclesias vestras cogitis sepelire; & eorum exequias celebrari. Si quis dece-
dientium Fratrum alibi, quam in Ecclesias vestris eligat sepulturam, funus
primum ad Ecclesias vestras deferri compellitis, ut oblatio usibus vestris
cedat; nec sustinentes eos habere campanam, vel Coemeterium benedictum:
certis tantum temporibus permittitis ipsos celebrare Divina; vultis etiam
in domibus eorumdem certum numerum Fratrum Sacerdotum, Clericorum,
& laicorum, necnon cereorum, lampadarum, & ornamentorum pro vestra
voluntate taxare; ac residuum cereorum, quando noviter apponuntur, exigitis
ab eisdem; nec permittis, ut novi Sacerdotes eorum alibi, quam in Ecclesias
vestris celebrent primas Missas; eos nihilominus compellentes, ut in quotid-
ianis Missis, quas in suis locis, & Altaribus celebrant, oblationes ad opus
vesrum recipiant, & reservent; quidquid etiam eis, dum celebrant Missarum
solemnia intra domorum suarum ambitum, pia Fidelium devotione donatur,
ab ipsis extorquere /369a/ oblationis nomine contendentes; quod eisdem

* Text from J. H. Sbaralea and C. Eubel, eds., *Bullarium franciscanum*, 7 vols. (Rome: Vatican, 1759–1904) 1, no. 85, coll. 368a–369b; often re-issued with some (minor?) changes. Note that letters in *italics* indicate partially illegible letters.

tam in ornamentis Altaris, quam in libris Ecclesiasticis absolute censemur, juri vestro perperam vindicatis; cogendo eos ad Synodos vestras accedere, ac vestris Constitutionibus subjacere; nec iis contenti capitula, & scrutinia in locis Fratrum pro iis corrigendis comminantes vos facturos. Fidelitatem juramento firmatam ab eorum Ministris, & Custodibus exigentes: eis quoque ut hyeme tam extra Civitates, quam intra vobiscum processionaliter veniant ex levi causa mandantes; in benefactores ipsorum excommunicationis sententiam fulminatis, & idem ipsum Fratribus comminantes; eosdem de locis, in quibus Domino famulantur, amovere satagit, nisi vobis obedient in omnibus supradictis. Ad haec, ne Fratres ad honorabiles Civitates, & Villas, ubi religiose, ac honeste valeant commorari a populis devote votati, accedere audeant, inhibentes, tam in accedentes Fratres quam in receptores eorum excommunicationis sententiam promulgatis. Ad haec, ne Fratres ad honorabiles Civitates, & Villas, ubi religiose, ac honeste valeant commorari a populis devote votati, acceder audeant, inhibentes, tam in accedentes Fratres, quam in receptores eorum excommunicationis sententiam promulgatis. Ab eis etiam de hortorum fructibus decimas; nec non de habitaculis Fratrum, sicut de Judaeorum domibus redditus contenditis extorquere; asserendo, quod nisi Fratres morentur ibidem, vobis ab aliis habitatoribus proventus aliqui solverentur: Et ut ipsos vestrae sudatis totaliter ditionis, eisdem Ministros, & Custodes vultis praeficere pro vestrae arbitrio voluntatis.

*Ordo FF. Minorum ab
Apostolica Sede approbatu
/sic/ quatuor nimirum*

Rom. Pontificibus

Cum igitur Ordo praedictorum Fratrum per felicis record. Innocentium, Honoriū, & Gregoriū Praedecessores nostros, & nos ipsos sit solemniter approbatus, & eorum Regula confirmata; ne Apostolicae Sedis statuta, quae humiliter suscipere, & servare tenemini; reverenter contemnre videamini; Universitatem vestram monemus attente, per Apostolica scripta firmiter praecipiendo mandates, quatenus conscientiae, ac famae vestrae /369b/ salubriter consulentes, universi, & singuli a praenominatis, & aliis praedictorum Fratrum gravaminibus penitus desistatis subditos vestros ab iss arctius compescendo; alioquin Venerabilibus Fratribus nostris . . . Archiepiscopo Pisano, & . . . Tudertino, & . . . Anconitano Episcopis damus nostris litteris firmiter in mandatis, ut vos ad omnia praedicta servanda per censuram Ecclesiasticam, sublato cuiuslibet contradictionis, & appellationis impedimento, compellant. Non obstante Constitutione de duabus dietis [sic] edita in Concilio generali. Si vero nec sic mandatis nostris curaberitis obedire; noveritis nos super hoc memoratis Fratribus, auctore Domino, provisuros.

Datum Lugduni xii. Kalendas Augosti, Pontificatus Nostri Anno Tertio.